



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An Prælati inferiori Episcopo possit præscribere Jura Episcopalia?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

## §. VII.

*An res alienari prohibita præscribi possint.*

**R**espon. non posse præscribi, si simpliciter alienari prohibeantur, posse tamen præscribi, si absolute quidem alienari possunt, servatis tamen certis solemnitatibus: prius fieri non potest, eo ipso, quod per prescriptionem res alienentur, ergo si simpliciter prohibeatur res talis alienari, præscribi non potest, nisi fortasse ante prohibitionem alienationis earum, cæpta jam fuisset usucapio, aut tempore immemoriali præscripta res talis fuisset, quod præsumptionem facit facultatis à Principe datæ ad alienandum; posterius fieri potest, eò quod simpliciter res tales alienari possint, & in præsumptione non minùs certæ conditiones requirantur, quàm in rerum talium alienatione.

## SECTION II.

*De conditionibus ad prescriptionem requisitis, & in specie de prima & secunda conditione.*

**Q**uatuor conditiones ad legitimam prescriptionem requirit, certum est. Prima est possessio, eaque continua & non interrupta. Secunda est Bona fides præscribentis. Tertia est iustus Titulus. Quarta est tempus à Legè definitum.

Quin etiam ex c. *Accedentes 11. h. t.* habemus, quod neque contra Procuraciones, quæ debentur Legatis & Nuntiis Apostolicis, ullo unquam tempore præscribi possit, quòd minùs illis solvatur, propter honorem scilicet Sedis Apostolicæ, in signum obedientiæ erga illam, & ob publicum bonum, quòd Legati tales promoveant; & quamvis præscriptio & privilegium æquiparentur, per privilegium autem possit obtineri à solvendis talibus procuracionibus immunitas, consequenter etiam per præscriptionem obtineri posse eam videatur; negatur tamen hæc æquiparatio in omnibus locum habere, ob multa, quæ præscriptioni propria sunt, non autem privilegio, & in illis in quibus expressè prohibetur præscriptio; æquiparatio hæc locum habere non potest.

## §. VI.

*An Prælati inferiori Episcopo possit præscribere jura Episcopalia?*

**R**espon. posse inferiorem Episcopo Prælatum omnia jura Episcopalia in certis Ecclesiis Diocesis & Capellis præscribere, tam privativè, quàm cumulativè. Uti habetur ex c. *Auditis 15. h. t.* (cùm sit capax, omnia illa jura possidendi, & consequenter etiam præscribendi) nisi ea requirant Ordinem Episcopalem, & ita ut non plùs acquirat, quàm præscripsit. c. *Cùm olim 18. h. t.* Ac Episcopus v. g. jurisdictionem generalem saltem in habitu retineat, cùm absolute sit suæ Diocesis Episcopus capax.